



~~C1422~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

17-62

SIGNAT. MDCCCXIII.



11.

Dissertatio Medica
DE
FEBRIBUS
IN GENERE.

Quam
Deo Ter Opt. Max. Hygiæ & Panacææ
authore, favente

In almâ Electorali ad Albim Academiâ Witteb.

PRÆSIDE

VIRO

Excellentissimo, Clarissimo & Celeberrimo

Dn. DANIELE SENNERTO,

Philosoph. & Medic. Doctore experientissimo, Fac.
Medic. P. P. Ejusdemque Collegii Seniore & Decano Spectabili, nec
non Serenissimi Electoris Saxonix Archiatro, Præceptore & Promo-
tore suo, omni, quo par est, reverentiæ & debitæ observantiæ
cultu perpetim prosequendo.

*Publica Philiatrorum disquisitioni submissam
defensurus est.*

VVILHELM DEICHMÄN VVestphalus.

In Auditorio Medicorum, s. Calend. Maij horis solitis.



WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. GEORGII MÜLLERI.

ANNO MDCCXXXI.

11.

DE
FEDERATUS
IN GENERE

Dr. DANIEL SCHWENKTO

Dr. DANIEL SCHWENKTO
Dr. DANIEL SCHWENKTO

Dr. DANIEL SCHWENKTO

Dr. DANIEL SCHWENKTO

Dr. DANIEL SCHWENKTO





Σω' Θεῶ.

De

FEBRIBUS.

THESIS I.



Nobilissimam in admirandâ Microcosmi fabricâ partem Cor esse, adeò verissimum, ut ejus sedem in media corporis regione, thoracis medullio & q. centro, utrinque per circumferentiam adinstar Principis & Regiæ arcis munito, sapientissimus omnium rerum Creator esse voluerit. Quemadmodum verò hoc secundum naturam sese habens, calorem vitalem, tanquam communem vitæ *divisor*, in universa membra diffundendo, partium temperiem & caloris insiti Symmetriam sarram rectam tuetur: ita illud calore p. n. affectum febrilis caloris fontem evadere, eundemque facile universo corpori communicare, reliquas partes citissimè compati, hominemquè exinde non rarò ob colliquantem fervorem, præcipuè vivificæ facultatis officinam radicalem occupantem, de vitâ periclitari, cuivis, qui vel leviter ipsius tyrannidem expertus est, clarissimum est.

II. Quæ febris, ex omnibus naturæ nostræ & imprimis cordi, tanquam vitæ thesauro infensissimis hostibus, omnium ferè familiarissimus, adeò ut fermè nullus morbus febre frequentior & vulgarior, cum vix contingat, quin inter aliquos decumbentes aliquis febricans reperiatur.

III. Quare cùm metuendum, ne calor ejusmodi febrilis nisi maturè suffocetur, nativum cum humido radicali sive

A 2

primi-

primigenio depascatur & depopuletur, & proinde in universū februm inquisitio & perfecta cognitio Medicis apprimè fructuosa & necessaria esse videatur, in hujus admodum latissimæ & gravissimæ materiæ consideratione ingenii vires exercendi causâ mihi desudare gestiendi, universam februm contemplationem generalem theorico-practicam, ex Mente Clariss. & Excellentiss. Dn Præsidis Tractat. de Febr. probabiliorem visam, neglectis verò missisque de industriâ, gratæ brevitatis studio, authorum super illis fufius explicandis prolixitatibus, aliorumque discrepantium Medicorum variis opinionibus, per aphoristicam & Systematicam Sciagraphiam constrictam delineare & adumbrare, publicæque Censuræ in præsentiarum subijcere placuit.

Notatio nominis.

IV. Caterum cum in qualibet propositâ consideratione initium *τὸ ὄν* esse conveniat, quid nimirum illud sit, de quo tractandum, meritò primò præmittenda visa fuit nominis notatio, ejusdem Etymologiam, Homonymiam & Synonymiam complectens.

Etymologia.

V. Etymologiam quod concernit, dicitur febris, vel à fervore juxta Servium, vel ab antiquo februo, quod apud antiquos significavit, Ex pio, lustro, purgo igne aut ferventibus aquis, unde deductum vocabulum febris, quod corpora, quæ febribus divexata, igne q. februarunt & deferbuerunt, puriora fiant, vel quod februo originem suam habeat à ferveo.

Homonymia.

VI. Homonymiam quod spectat, sumitur vocabulum febris à nonnullis & præsertim à Germanis pro Symptomate, Rigore sc. seu frigore paroxismos februm intermittentiū antecedente, unde licet & febris appellationem retineant, etiam *das Kalte* appellare consueverunt; Verum ea appellatio non omnibus febribus competit, siquidem non omnes febricitantes ab istiusmodi horrore molestantur, quibus verò competit, in iis non ipse morbus sed Symptoma hoc nomine indigitatur.

VII. Vo-

VII. Vocatur Febris à Græcis ὁ πυρετός ἀπὸ τοῦ πυρρός
ab igneo calore, quo febricitantes affliguntur, interd. πυρεζία; *Synonymia.*
Latin. dispositio ignea, calor igneus German. das Fieber/ das
falte Wehe/ der Frost/ das Frieren.

IX. Definitio febris hæc est, quod sit calida intem- *Definitio.*
peries, seu potius calida p. n. dispositio totius à calore p. n. in
corde accenso, & mediantibus spiritibus & sanguine per ve-
nas & arterias, nisi impediatur, in universum corpus diffuso,
oborta, actiones naturales lædens.

IX. Ex quâ definitione clarum fore existimamus, quod- *Subjectum.*
nam subjectum febris sit, dicimus itaque præcipuum & πρῶ-
των δεκτικόν sive primarium subjectum esse cor, adæqua-
tum verò totius corporis partes, quatenus sc. calorem,
quendam actualem ex insito & influente conflatum & in-
igneum q. conversum in se continent: Vel certè pleræque
ejus partes, cum nimirum, quod non nunquam in paroxys-
mis febrilibus, febribus Epialis & lypiriis contingit, calo-
ris in totum corpus effusio prohibetur, quod etiam pluribus
modis fieri posse statuit Dunc. Lidd. de febr. l. I. c. I.

X. Proxima causa febris, est calor p. n. in corde ac- *Causa οὐνεκ
ὕλη & proxi-
μα.*
census & in universum corpus diffusus, qui licet unica in-
temperiei calidæ febris essentiam constituentis continens
causa sit, nihilominus causæ mediatæ, antecedentes & re-
motæ plures sunt, quæ ejusmodi caloris effervescentiam in
corde excitare valent, suntque potissimum 5.

XI. 1. Motus tum corporis; ut labor immodi- *Causa οὐνεκ
ὕλη & proxi-
μα.*
cus, Exercitium vehemens; tum animi; ut ira, tristitia, Mo-
tus, sollicitudo, vigilia, quæ omnia pariter ob nimiam agi-
tationem spiritus accendunt.

XII. 2. Vicinia rerum calidarum, vel propter rei ca-
lescentis appropinquationem & contactum, ut aëris ambi-
entis, insolatus, præsertim diebus canicularibus, ignis, Me-
dicamentorum Causticorum, Escharoticorum, Cauterio-
rum actualium & potentialium, Balneorum Laconicorum,
& stupharum ferventium, Thermarum Sulphurearum, &c.

Vel ob partium affectarum Sympathiam, verb. gratiâ, in bubonibus, & inflammationibus tam partium principalium, quam minus principalium, ut Epatitide, splenitide, phrenitide & aliis phlegmones generibus, in quibus exortus calor sensim partem accendit, donec pervenas & arterias ad cor usque pertingat.

XIII. 3. Obstructio, quæ accidit bifariam, 1. vel ratione pororum, ob causam refrigerantem, stypticam, & aluminosam forinsecus incidentem, unde fit Retentio calidi per insensibilem transpirationem effluvii, præcipue fuliginam acriam & copiosam, ita cum quis ex stuphâ calidâ egressus auræ frigidæ subito sese exponit, nascitur Ephemera; vel ob materiæ copiam & crassitiem, vel quâcunque etiam de causâ pori occluduntur & obturantur. 2. Vel ratione meatuum, ut venarum lactearum, Mesaraicarum, hæmorrhoidalium, uterinarum, & viscerum &c.

XIV. 4. Putredo viscerum, humorum, aliarumque partium, quæ potissimum, ut umbra sequitur retentam Evacuationem, ut solitæ phlebotomiæ in plethoricis, scarificationis & purgationis in cacochymicis intermissionem, fecum alvi, seminis in testiculis, parastatis & utero, lochiorum, secundinarum, molæque post partum in puerperis retentionem, hæmorrhoidum & menstruorum obstructionem, unde in virginibus leuco phlegmaticis jam viro maturis, circa tempus pubertatis, sanguine menstruo primo prorumpente & efflorescente, febris alba virginea dicitur.

XV. 5. Assumptio internè calidorum, vel ratione aeris ferventis, qualis diebus canicularibus attrahitur, vel ratione alimentorum & Medicamentorum, quantitate vel qualitate peccantium. 1. ratione quantitatis est nimia ingestio potulentorum & esculentorum, unde duplex cruditas resultat, una acida, quæ ex calore diminuto provenit, altera nidorosa, quæ à calore p. n. aucto ortum habet, ex utriusque cruditatis elevatis vaporibus calidis, spiritus accenduntur & Ephemera progerminat; 2. ratione qualitatis sunt medica-
mentis

menta, venena & alimenta intensè calida, ita memoria pro-
ditum est, ut habet Forestus, quendam, qui Malvaticum in ac-
cessione duplicis Quartana biberat, ardentissimâ febre cor-
reptum intra quinque dies periisse, aliumque, post vinum
Rhenanum in paroxysmo sumptum obiisse, alium itidem, qui
aquam vitæ in accessione affatim hauserat, in febrem arden-
tem, imò phrenitidem prolapsus fuisse, sic spiritum vini af-
fatim haustum, item confectionem ana cardinam febres in-
tensissimo suo calore excitare posse, asserit Platerus de Caus.
Febr.

XVI. Ex differentiis primum hîc jure meretur locum *Differentia.*
generalissima illa, ac inter reliquas summè fructuosa & uti-
lis divisio, ab inhærentiâ in subjecto, causâque inhærentiæ
desumpta, quâ febris dispescitur in Scheticam & Hecticam,
utpote ad quam qualescunque etiam species commodè refer-
ri, & exinde reliquæ differentiæ systematicâ quasi cohæren-
tiâ promanare videntur, de quibus jam ordine eâ, quâ possi-
bile est, brevitate, differemus.

XVII. Schetica febris est, in quâ $\kappa\tau\iota$ $\chi\acute{\epsilon}\sigma\iota\nu$, vel ita ca-
lida intemperies similaribus partibus insidet, ut si ab humo-
rum vel spirituum incendio non foveatur, per se subsistere
non possit.

XVIII. Cujus pro ratione subjecti duo statuimus ge-
nera, dividentes eam in spirituales, sive non putridas, & hu-
morales sive putridas.

XIX. Spiritalis est duplex: 1. Ephemera sive Diaria
strictius ita dicta, à spirituum vitalium incendio dependens.
2. Diaria plurium dierum, quæ tamen non nisi causæ dura-
bilitate ab Ephemera differt, qualis causa est obstructio vaso-
rum capillarum circa cutem, unde incendium spirituum tam
diu, donec causa illa cessat, continuatur. Ad quas refertur
synocha sine putredine, vulgò inflativa sive sanguinea dicta, à
spirituum & sanguinis tenuioris effervescentiâ & ebullitio-
ne ortum habens.

XX. Putrida verò febris, in quâ per putrefactionem
humo-

humoris vel partis alicujus calor natus in corde intenditur, non solum pro natura humoris putrescentis, sed etiam pro modo & situ putredinis plurimas habet differentias.

XXI. Suntque alia vel simpliciter putrida citra omnem malignitatem, alia vero maligna, pestilentes & venenata.

XXII. Putrida absolute considerata secundum 4. humores tam naturales, quam praeter naturales putredinem concipientes, sunt vel sanguinea, pituitosa, biliosa & melancholica, eaque, quatenus humores putrescunt, vel conclusi in vasis majoribus, ut arteria aorta, & vena cava, vel extra vasa cordi primario continuata, ut in venis mesaraicis & ramis venae portae &c. sunt vel continua vel intermittentes.

XXIII. Mineram itaque putredinis intra vasa cordi continuata hospitante, febres continua communiter ita dicta oriuntur, siquidem continue calor putridus cordi communicatur, proinde ejusmodi febres ad infebrecitationem non deveniunt, priusquam ex toto soluta fuerint, quarum alia συνεχολι seu continentes, alia συνεχεις seu continua nomine generis, vel continua periodica nominantur.

XXIV. Synocha continentes a sanguine alimentario in vena cava & arteria aorta ramis majoribus putrescente orta, pernidium calorem assiduo & perenni quodam lapsu, citra omnem remissionis sive excandescuntiae circuitum & typum, donec ex toto humoribus absumentis & concoctis soluta fuerint, cordi impertinunt, quarum tres ab autoribus recensentur, 1. sanguinea, quae ex massa sanguinea debitam humorum proportionem obtinentis, ita ut temperatioris partis major copia sit, parte temperata putrescente oritur. 2. Biliosa, ex tenuiore ejus parte praedominante, non debitam humorum proportionem habentis, putredinem concipientis. 3. Causus & ardens, quae partim ex dicta calidioris & tenuiore sanguinis parte, partim etiam ex sanguine arterioso & spirituosissimo in arteriis putredine correpto.

XXV. Quæ quatenus ad statum vel eundem tenorem servant, vel augmentur, vel minuuntur, dicuntur 1. vel Homotonæ sive Acmaſticæ, Uniformes dictæ, à principio usque ad crisin eundem tenorem retinentes, quando sc. tantum humoris quotidie putrescit, quantum discutitur. 2. vel Epacmaſticæ sive Anabaticæ, invalescentes, cum plus putrescit, quam à calore nativo dissipatur. 3. vel Paracmaſticæ sive decreſcentes, cum plus à naturâ discutitur, quam minera supeditare possit.

XXVI. *Συνεχῆς* sive continuæ periodicæ à sanguinis Cacochymici & excrementitii in venæ cavæ ramis majoribus putredine ortæ, nunquam quidem planè intermittunt, & ad apyrexiam deveniunt, attamen aliquam pro natura humoris putrescentis, adinstar intermittentium, stas periodis excandescunt sive exacerbationem habentes paulò magis affligunt; quarum tres habentur species, aliæ enim alternis diebus exasperantur, à bile ortum habentes, dicunturq; tertianæ continuæ; aliæ singulis diebus, à pituitâ provenientes, & quotidianæ; aliæ quarto die, ex melancholia sive atrâ bile resultates, quartanæ continuæ periodicæ appellantur.

XXVII. Ad has quotidianas non incommodè etiam referuntur Epiala & Syncopalis. Illa in hoc duntaxat à reliquis differt, quod à vitreâ pituitâ, utpote humore admodum crasso, lento & omnium frigidissimo ortum ducat, unde ex unâ parte putredine correptâ caloremq; efficiente, alterâ verò non putrescente, utpote frigidissimâ, per sentientes corporis partes delatâ vehementem rigorem excitante, ægri eodem tempore simul rigorem & calorem percipiunt. Hæc verò, quod in eâ humorum phlegmaticorum, ichorosorum & crudorum major, quam in aliis febribus pituitosis sit copia, & præterea conjuncta sit orificii superioris ventriculi debilitas, unde ægri cardialgiâ sive cardiogmo correpti facilè, imprimis febre irruente, in syncopen incidunt.

XXIIX. Præter enumeratas febrium continuarum differentias, datur adhuc alia, quâ aliæ primariæ, aliæ secundariæ, sive symptomaticæ vulgo appellantur.

B

29. Pri-

XXIX. Primariæ dicuntur, quæ per *πρωτοπαΐθειαν* à propriâ causâ dependent, & nullum alium morbum sequuntur; suntque vel solitariæ absque comite affectu alio, vel comitatæ, quæ alium affectum ab ipsis productum concomitantur, ut in Erysipelate Germ. die Rosen / Dysenteriâ, petechiis, Ecthymatibus, variolis & morbillis, carbunculo, arthritide, pleuritide, catarrhis, & doloribus vagis &c. quàm sæpissimè accidit.

XXX. Quamvis enim humorum putredo primò in vasis cordi proximè continuis, ut vena cava accendatur, verùm cum natura onere & qualitate stimulante vitiosorum humorum gravata & irritata eos, quantum potest, è vasis majoribus, tanquam publicâ & regiâ sede, ad minores & minus principales corporis partes, potissimum ad peripheriam criticè (licet illud ipsum etiam symptomaticè vi morbi naturâ oppressâ & convictâ contingere posse non inficiemur) propellere & protrudere soleat; in illas partes effusi inflammationem & affectus paulò antè commemoratos excitant.

XXXI. Symptomaticarum, seu secundariarum fomes primariò non est in vasis cordi vicinis, sed alicubi in parte aliquâ, aliunde calore putrido existente & assiduò cor feriente, unde eæ symptomaticæ dicuntur, quod alterius cuiusdam morbi primarii interventu & occasione, per *συμπαΐθειαν* vel *δωτεργπαΐθειαν* hominem invadant, quales sunt febres hepatiti, splenitidi, phrenitidi, pleuritidi, peripneumoniæ, phtisi, Erysipelati, gangrænæ, aliisque inflammationibus vulneratarum partium supervenientes, ita ut ejusmodi morborum genera nullæ febres præcesserint; quarum quatuor vulgò statuuntur genera.

XXXII. 1. Ab inflammatione, quæ si vera & pura est, & ex sanguine copiâ præcipuè peccante excitarur, febrem phlegmonodon parit; ex Erysipelate vel inflammatione *ερυσιπελατώδης* febres ortæ Erysipelatodes vel Typhodes appellantur. Ad quod genus etiam referenda videtur febris Lypiria dicta, à magnâ & profundâ visceris alicujus inflammatione

matione Erysipelatode, imprimis ventriculi, sanguine & spiritibus ad locum inflammatum, tanquam à cucurbitulis attractis, concurrentibus, oborta, unde interiora omnia quasi uruntur, exteriora verò calore & sanguine destituta frigent.

XXXIII. 2. Est febris lenta, ex latente & occultâ obstructione & putredine, hoc est, ex materiâ alicubi extra vasa in spacia partium concava, aut visceris alicujus substantiam effusa, aut certè in capillaribus vasis per visceris substantiam disseminatis, impactâ putrescente, viscus labefactante, ortum habet, unde tantâ copiâ, eoque ordine, ac si in vasis majoribus materia contineretur, vapores ad cor transmitti nequeunt, quæ febris propterea inæqualis est, nec certum ordinem servat, qualis in Lethargo & Veterno.

XXXIV. 3. Genus est vel ex cruditate, colostro & lacte corrupto, quod utrumque infantibus familiare est, vel ex sanguine alicubi extra vasa putrescente, vel ex vermibus putridos vapores cordi communicantibus.

XXXV. 4. Omnium est pessimum ex visceris alicujus putredine resultans, ex quâ per venas & arterias visceris parenchymati insertas, putridi & calidi vapores ad cor perreptant, quo corpus sensim extenuatur & contabescit, qualis febris est, si epas vel lien putredine corripitur, quam Atrophia & Cachexia insequuntur, frequentius verò in phtificis ex peripneumoniâ sive pulmonum ulcere generatur, ita etiam compertum est, Omentum, Mesenterium, Uterum, Embryonem, Secundinam, & lochia, aliasque partes putredine extinctas febres ejusmodi produxisse.

XXXVI. Proporrò continuas, tam primarias, quam symptomáticas dividimus in longas, quæ etsi continuè sine intermissione, vel ad salutem, vel ad mortem, historiam suam percurrant, non tamen adeo effrenatæ sunt, sed mites, citra ægrotorum manifestam querelam; Et breves, veloces sive acutas ita *idiōs* nominatas, quæ cum manifestâ ægri perturbatione, & graviori

symptomatum molestiâ affligentes celeritati status etiam magnitudinem conjunctam habent, & propterea criticè vel symptomaticè, ἀθρόως cum impetu, vel ad salutem vel ad mortem terminantur.

XXXVII. Longæ rursus aliæ breviores sunt, quæ nonnunquam vix ultra diem naturalem, triduum aut quatrimum transcurreunt, hujusmodi sunt Diariæ & Synochi absque putredine: aliæ longiores, quæ transacto triduo vel quatrimum, nec vigesimo, nec quadragesimo interdum die solvuntur, cujus notæ sunt Hæcticæ Ephemeræ insequentes.

XXXVIII. Acutarum, aliæ sunt ἀπλῶς ὀξείας, simpliciter acutæ, earumque ultimus terminus est dies vigesimus, aliæ ἀκρῆστως ὀξείας, exquisitè acutæ, quæ intra 14. dies terminantur, aliæ ἀπλῶς κατόξεις, peracutæ simpliciter, quarum crisis ingruit septimo die: aliæ ἀκρῆστως κατόξεις, sive extremè peracutissimæ, quæ omnium crudelissimæ hominem vel primo etiam insultu lucis hujus usurâ privant & jugulant, & aliquando intra horas 24. nonnunquam verò triduum vel quatrimum judicantur, quartum verò diem ut plurimum non transgrediuntur.

XXXIX. Hactenus de continuis, consequenter igitur succedunt intermittentes & interpolatæ, quas humores putrescentes extra vasa cordi continua, utpote circa jecoris partem cavam, lienem, ramum venæ portæ dextrû & sinistrû, hepaticum & splenicum dictum, pancreas & mesenterium stabulantes pariunt, & propterea non continuè, sed per intervalla quædam certasque periodos & paroxysmos pro naturâ humorum putridam fuliginem cordi communicant, idcoq; ad apyrexiam seu infebriationem sæpius deveniunt, antequam terminentur, cujusmodi sunt Quotidianæ, Tertianæ, Quartanæ. Quod si verò humor melancholicus in atrum vel adustum degeneret, vel alii humores illum admixtum habeant, generantur Quintanæ, Sextanæ, septimanæ, &c.

XL. Ex hætenus enumeratis legitimarum & simplicium febrium differentiis, Nothæ & Compositæ exsurgunt. Nothæ quidem cum duo humores ita permiscuntur, ut quilibet propriam naturam non retineat, sed ex iis unus humor resultet; unde etiam unam simplicem periodum & typum habent, ut Tertianæ Nothæ & Synocha continens Spuria. Compositæ verò ita conjunguntur, ut utriusque natura, symptomata, & signa seorsim peculiariter animadverti possint, unde & compositum typum habent.

XLI. Tribus autem modis præcipuè sibi mutuò compli- cantur unius scilicet speciei ejusdemve generis, vel genere & specie differentes. 1. Quæ diversi generis sunt, ut putrida cum non putridâ, videlicet hæctica cum putridâ. 2. Ejusdem quidem generis, sed diversæ speciei, ut Tertianæ intermittens, cum Quartanâ intermittente, Tertianæ continua, cum Quotidiana intermittente, vel Quotidiana continua, cum Tertianâ intermittente. 3. Ejusdem generis & speciei, ut Duplices, Triplices, Quotidianæ, Tertianæ & Quartanæ.

XLII. Absolutis febrium putridarum malignitatis exper- tium differentiis, jam ad malignarum plasticè ita dictarum trans- eundum, suntque Triplices, febres quæ pestem comitantur, pe- stilentialet, & malignæ, quarum posteriorum pro intensione & remissione graduum putredinis & malignitatis, diversitateque symptomatum, per quæ malignitas sese prodit, rursus variæ dif- ferentiæ. Aliæ enim sunt petechiales, in quibus maculæ diver- si colores, petechiæ in cute efflorescunt; aliæ, cum quibus va- riolæ & morbilli conjunguntur; alia, quam luem Ungaricam, Pannonicam, seu vitium Castrense nominant; alia sudatoria, sudor Anglicus, dicta; aliæ tandem Catarrhales, Pleuriticæ, An- ginosæ, Dysentericæ, cum spasmo &c.; prout enim natura hu- moris venenati & maligni cum hæc vel illâ parte peculiarem antipathiam fovens in eas decumbit, ejusmodi effectus varios producit.

XLIII. Transactis scheticis, reliquum est, ut ad hæcticam, ut alterum febrium genus, accedamus, in quâ *καθ' ἑξιν*, vel ita
B 3 calor

calor solidis corporis partibus inhæret, ut nullâ causâ foven-
te indigeat, sed nihilominus, licet à spirituum & humorum in-
cendio non foveatur, durare possit; quæ duplex est, sine & cum
tabe; sine tabe dicitur, quando rorida humiditas quidem ef-
ferbuit, non verò absumta est, quâ verò absumtâ, Hectica cum
tabe dicitur, quæ duplex est: 1. quando eò res devenit, ut rori-
dâ humiditate extinctâ carnosâ & adiposâ substantia perit, 2.
cum solida mēbranosa & fibrosa substantia colliquatur, quam
cum calor febrilis depasci & depopulari incipit, Hectica ma-
rasmodes appellatur. Tandem verò calore deficiente ob ali-
mentum absumtum, ultimus terminus est Marasmus.

Ætiologia.

XLIV. Postquam hactenus omnium febrium differentias
recensuimus, ordo postulare videtur, ut earum causas clario-
ris explicationis & doctrinæ causâ, eodem, quo eas enumera-
vimus, ordine proponamus.

XLV. Et quidem primò sese offert Ephemera, quæ ab o-
mnibus causis supra propositis, exceptâ putredine, excitari
potest, & subinde, si obstructio vasorū circa cutim ultra diem
naturalem sese extendat, nec mox desinat, ad plures dies pro-
rogatur, mutaturq; in Ephemeram plurium dierum. Synocha-
rum sine putredine causa, est prohibita transpiratio calidi ef-
fluvii ex obstructione pororum cutis in corpore plethorico.

XLVI. Putridarum causam humorum, aliarumq; partium
putredinem esse, in confesso est, ea verò vel contingit proprio
humorum vitio interno sponte ad putredinem tendente, vel
aliis causis extrinsecus accedentibus, & occasionem aliquam
ad putrescendum administrantibus.

XLVII. Quoad primam causam humores ejusmodi vitium
contrahunt, ex cibis pravis, dispeptis, cacochymis, humori-
bus vitiosis suæ naturæ correspondentibus materiam suppe-
ditantibus, sive naturâ talibus, qui facile corrumpuntur, sive
à pravâ ciborum præparatione, malâq; digestionem, cum scili-
cet intempestivo alimentorum esu, eorumq; in substantiâ dis-
similitudine, nimîâ copiâ, ordine comedendi præpostero, sive
partium coctioni destinatarum, Epatis scilicet, lienis & præci-
pue ventriculi morbidâ dispositione, ob quam cibi corrup-
puntur

puntur, bilefcunt, aut quacunq; aliã de caufa, ut rerum ſex non naturalium uſu perverso, quibus vitiatã concoctione vel primã vel ſecundã cacochymia introducitur, corruptis.

XLIX. Quoad alteram: 1. præcipua inter omnes, eſt prohibita tranſpiration & ventilatio, ſive ea accidat ob pororum cutis conſtrictionem, ab externo frigore, rebus ſtypticis, vel obſtructionem, à copiã, viſciditate, vel craſſitie humorum inductam, ſive ob vaſorum & meatuum in corporis partibus penitioribus obſtructionem, itidem à copiã ſanguinis vel humorum craſſitie & viſciditate contractam, unde humores non ventilati promptè putreſcunt. 2. Sanguis item extra venas effuſus, cum ſit extra naturalem locum, & calidæ & humidæ naturæ, facilè putredinem concipit, quod patet ex apoſtematibus ſuppurantibus. 3. Sunt cauſæ aliæ calefacientes, quæ calorem nativum evocant & debilitant, extraneumq; calorem inducunt, unde, cum natura amplius humores & partes regere non poſſit, corrumpuntur, ut accidit in nonnullis inflammationibus, peripneumoniã & gangranã, vulgò **faſtem Brande** dictã. 4. Putridarum rerum occurſus, ex quibus humores *μιασμα* aliquod nacti in putredinem prælabuntur.

XLIX. In ſpecie verò Synochæ putridæ continentes à ſanguine corpori alendo deſtinato, plerumque ob prohibitam tranſpirationem, fuliginumq; inde calidarum retentionem, ob obſtructionem venarum, cum capillarium, tum in partibus interioribus latitantium, putreſcente, ortum habent.

L. Periodicæ ab humore excrementitio & cacochymico in organis ſecundæ concoctionis generato, ſanguiniq; non ſolum confuſo, ut intermittentibus, ſed ex illa primã origine ei verè permixto, & in venam cavam cum ſanguine diſtributo, ibiquè putreſcente proveniunt, unde quæ harum differentiarum, utpote quotidianæ, tertianæ & quartanæ periodicæ cauſæ ſint, elucet; videlicet, quæ cacochymiam, pituitoſam, bilioſam & melancholicam generare, in venã cavã cumulare, cumulataquè putredinem inducere poſſunt.

Quæ licet à principio uſque ad finem continuo durent, cum
natura

natura materiam adhuc crudam ante perfectam concoctionem expellere non possit, attamen stas temporibus exacerbationes habent, quia ab organis secundæ concoctionis & quidem ferè ab epate, semper nova materia harum periodorum causa suppeditatur.

LI. Symptomaticarum causæ ex differentiis patent, suntque phlegmone & Erysipelas, occulta obstructio & putredo, cruditas & putredo extra vasa, corruptio visceris vel partis alicujus.

LII. Intermittentium verò sunt humores biliosi, pituitosi & melancholici excrementitii in primâ coctione generati, primâque corporis regione, iis videlicet in locis, quæ citra epas sunt, & ad perfectam hæmatosin destinata non sunt, ut venis mesaraicis, primisq; viis contenti, in quibus verò non semper totaliter subsistunt, sed & partim venæ cavæ & arteriis identidem, cum in paroxysmo, tum extra paroxysmum communicantur, qui ubi putrescere & effervesce incipiunt, putridi vapores per truncum venæ portæ, vasorum mesaraicorum, venarumq; lactearum epatis parenchymati insertum, & inde per radices venæ cavæ ad cor perreptant.

LIII. Quâ *ἀναθυμιάσις* remittente paroxysmus desinit, febris cessat & apyrexia subsequitur, remittunt verò vapores exilientes, cum humor putrescens excutitur, quod facile fit, dum enim humores isti vitiosi sanguini exactè permixti non sunt, sed saltem confusi, natura stimulata & irritata eos facile à bono sanguine separare, per varias vias, initiò quidem per vomitum & alvum, postea verò per sudorem & urinam sensibilibiter evacuare & tandem per *ἀθλήν Νεπνολῶν* in halitus resolutos insensibilibiter excutere solet.

LIV. Recursus verò paroxysmorum dependet tum à *μιασματι* & *πρωτόματι σηπεδονώδει* seu inquinamento in foco à præcedente paroxysmo relicto superstite, à quo tanquam fermento, & ab illo partibus vitiosâ inductâ diathesi, humores affluentes inquinantur & corrumpuntur, tum etiam à materiâ febrili, quam in primo paroxysmo non totaliter sed partialiter,

ter,

ter, partem videlicet putredini aptiorem, in reliquis reliquam putrescere veritati consonum est.

L V. Hinc patet paroxysmos tamdiu redire, donec materia febrilis tota absumpta, *μιασμα & πείρωμα σηπεδονώδες*, è foco planè excussum, partisquè debilitas sive prava dispositio sublata sit.

LVI. Causam verò periodorum, cur scilicet stasis certisq; periodis febres redeant, aliæ citius, aliæ tardius, peculiarem, occultam & propriam qualitatem, ac naturam humoris esse asseveramus, quâ enim mutatâ febris typus etiam mutatur, dum enim bilis degenerat in melancholiam, febris, quæ tertio die recurrebat, jam quarto invadit. Quæ itaq; febres tertîa die redeunt, ab humore bilioso, quæ singulis, modò non sint tertianæ duplices, à pituitoso, quartani circuitus à melancholico proveniunt.

LVII. Non verò eodem tempore semper fit recursus paroxysmorum, sed nonnunquam vel anticipant, cum nimirum sequens paroxysmus citius, quàm prior recurrit, qui typus appellatur, *πρόληπτικός*; vel postponunt, cum sequens paroxysmus tardius, quàm prior redit, typusq; *ὕστερικός* vocatur.

LXVIII. Cujus anticipationis & postpositionis causam hanc esse statuimus, illum diversum recursum, si ejusmodi typus sive prolepticus sive hysteriticus, per totam morbi historiam, à principio febris usque ad integram solutionem, observetur, ex humorum diversitate, utpote cum omnis bilis non semper ejusdem generis, sed identidem secundum corporum & temperamentorum diversitatem variet; si verò typus consuetus immutetur, quando videlicet in aliquibus fit anticipatio, in aliquibus postpositio, anticipationem ab humorum, ob victûs errorem, augmento, eorumvè à medicamentis, irâ, motu, aliisque animi pathematibus, & similibus causis, commotione, postpositionem verò à contrariâ causâ dependere.

LIX. Longitudinis & brevitatis paroxysmorum causæ sunt copia & paucitas materiæ, dispositio corporis & materiæ.

C

LX.

LX. Notharum, ut & compositarum febrium causæ sunt eadem, quæ legitimarum & simplicium, nisi quod ex earum causis componantur, ex iisque satis superque elucescunt, e. g. tertianæ nothæ generantur non ex pura bile, sed vel pituitâ, vel melancholiâ admistâ. Compositæ verò, ut duplices, triplices quotidianæ, tertianæ & quartanæ, ex humoribus pituitosis, biliosis & melancholicis duobus vel tribus in locis in mesenterio vel alibi putrescentibus oriuntur. Hemitritæi sive semitertianæ causæ sunt, quæ continuarû & intermittentium, & quidem præcipue tertianæ intermittentis, & quotidianæ continuæ, continuitatem ratione continuæ habet, horrorem verò ratione intermittentis.

LXI. Pestilentia & febrium pestilentialium & malignarum causæ sunt supra vulgaris putredinis conditionem, venenatæ & malignæ, generi humano totâ substantiâ, vel potius occultâ quâdam proprietate adversæ, eaque confimiles, gradibus saltem ab invicem differentes, ita ut malignarum in genere tres sint gradus, in peste enim cum summus corruptionis gradus, summaque malignitas, in pestilentialibus verò minor, & rursus in malignis in specie dictis paulò minor, malignarum causæ erunt omnium mitissimæ, pestilentialium verò paululim graviores, & tandem pestis omnium gravissimæ, summam corruptionem inducentes, ad quam per multas alterationes & fermentationes quasi, tanquam per gradus transitus fit, in eamque morbi, qui præcesserunt, epidemii degenerare & abire solent, unde peste grassante, alii morbi sporadici & epidemii omnes ferè silent & cessant.

LXII. Earum causæ aliæ sunt generantes, aliæ propagantes; in priori classe sunt: 1. Aër malignus. 2. infaustus syderum, præcipue planetarum malignorum ♀ & ♂ influxus. 3. Victus ratio communis perversa, cujusmodi non raro contingit in diuturnâ annonæ caritate, in exercitibus, castris & obsidionibus bellicis, ubi homines cibis pravis, cacochymis, inconsuetis, putredini & corruptioni facile obnoxii, vene-

venen atamquè naturam in corpore induentibus, ut legumini-
nibus, radicibus herbarum, fructibus præcocibus, horæis, &c.
vesci coacti morbosum corporis apparatus nanciscuntur.
4. Veneficia varia maleficorum, ut unguenta & pulveres ve-
nenati hinc inde per aërem conspersi &c. 5. imaginatio, ira,
terror, & timor nimius, quorum vi quosdam dum è longin-
quo peste infectos, vel mortuos, vel è domo duntaxat infectâ
egressos conspexissent, subito in pestem incidisse compertum
est. 6. Causæ nonnullæ procatarticae non parùm sæpe mo-
menti ad harum febrium productionem conferunt, quarum
supra de causis putridarum facta est mentio.

LXIII. Ex posteriori classe est contagium, quod est simi-
lis affectionis morbosæ in alio corpore per inquinamentum,
à morbofo corpore communicatum productio, in quo tria
requiruntur; 1. Ipsum corpus contagiosum agens, alia infi-
ciendo. 2. Corpus illud ex morbofo corpore effluens &
alteri communicatum similem effectum in eo excitans,
Græc. ἀπόρροια & μίασμα, Latinis inquinamentum & se-
men contagii dictum. Quod verò non uno modo pro-
pagatur, nonnunquam enim è corpore infecto per halitum,
aliquando per insensibilem transpirationem, poros cutis,
formâ vaporum, seu sudoris, sordiumquè cuti adhæren-
tium, aliquando etiam copiosissimè exit, ubi venenum na-
turâ fortius est, eamquè convincit, quod in morituris ac-
cidit. 3. Medium seu vehiculum, quo mediante & inter-
veniente contagium communicatur, cujus rationem ha-
bent, aër & fomes, ad fomitem referuntur corpora rara,
porosa & spongiosa, quibus aër malignus facilè sese infi-
nuat, ut linum, lintea, gossypium, plumæ, pelles pilosæ ani-
malium, indequè vestes paratæ & similia, utriusque interme-
dii beneficio, & quidem fomite moto & excusso, μιάσματα
illa maligna & contagiosa in alios vel etiam remotissimos
disseminari & derivari possunt.

LXIV. Tandem Heeticam quod concernit, ad eam producendam duo requiruntur. 1. Subjecti ad calorem p. n. recipiendum promptitudo, 2. vehemens causarum calefacientium actio, quæ vel per se à causis evidentibus producitur, eaq; si sunt leviores, Ephemeram, si vehementiores, Heeticam pariunt. Vel ex febribus aliis Chronicis & ardentibus emergit, quarum calor diuturnus & vehemens omnes partes solidas adeò pervadit, earumquæ humidum absunit, ut *naab' èxiiv* inhæreat.

LXV. Hermetici in hoc passu non multum à Galenicis dissentire videntur, siquidem non negant ex bile, pituita & Melancholia, quatenus putrescunt, febres generari, sed hoc saltem addunt, humores ejusmodi putrescentes propterea febres producere, quod sulphureas obtineant partes, quarum effervescentiæ paroxysmum subito inferant, quam ob causam febrem definiunt, quod sit ametria ex accensis spiritibus Sulphureis cordi & per consequens toti introducta.

LXVI. Verumenimverò non profus mirum & à veritate absolum videatur, quod exspirations febriles cor accedentes spagyrici Sulphureas appellent, etenim ejusmodi Sulphuris in exhalationibus putridis existentis documentum nò solum præbent operationes Chymicæ, ut fermentatio & putrefactio, quarum beneficio, compage solutâ partes Sulphuræ, oleosæ & spirituosæ aliquo modo à partibus crassioribus & heterogeneis segregantur, ut facilius, & quidem in majori copiâ consequenti destillatione, olea & spiritus eliciantur, qui neglectâ & prætermisâ fermentatione & putrefactione artificiali, elici vix aut planè non possunt, verum etiam testatur hoc historia, quàm hic Wittebergæ quondam accidisse, refert Excellentiss. D. Præses Tractat. de Conf. & Dis. Cap. XI. de Principiis Chymic. in ædibus scil. cujusdam, fœtorem intolerabilem ab aliquâ re in Cloacâ latitante, camarinamquæ movente obortum fuisse, quem abhorrentes cum candelâ accensâ in latrinam demissâ causam moventem explorare voluissent, confestim totam latrinam
flam-

flammam, subito tamen iterum evanescentem, non citra adstantium terrorem & consternationem, ob sulphureos agitados vapores putridos accensos, concipere visam fuisse, quocirca patescit putridas exspiraciones febriles non incongruè à spagyricis sulphureas appellari.

LXVII. Signa februm Diagnostica generalia cuiusvis *Diagnosis* obvia sunt, & ex functionum naturalium, animalium & vitalium læsionibus, & symptomatibus communiter febribus supervenientibus facile dignoscuntur, temperamento enim totius p. n. immutato concoctio & nutritio vitiantur, Atrophia subsequitur, pulsus est justo frequentior & celerior, cum virium imbecillitate & languore, facies modò rubet, modò pallet, modò flavedine tineta videtur, caput nonnunquam dolore vigiliisque tentatur, tempora pulsant, frons, epar & ventriculus æstuant, ventriculus subinde cardiogmo, semper ferè nausèa, anorexiâ sive in appetentâ, siti que inexpugnabili vexatur.

LXVIII. Verùm cum hæc generalia ad curationem instituendam non sufficiant, paulò penitus specialiora & characteristica cuilibet febris speciei appropriata & competentia attendenda.

LXIX. Ephemeræ incipiunt à causâ procatarcticâ & manifestâ, urina in substantiâ, colore & contentis urinæ sanorum est similia, aut certè non multum ab eâ recedit, quod in Ephemera ex cruditate proveniente fieri solet, in quâ urina crudior & albidior apparet, & pulsus naturali est propior, quàm in aliis, calor respectivè est mitis & suavis, invadit sine frigore & horrore, declinatio fit cum madore, seu humidâ evaporatione, sanorum sudori ab exercitio erumpenti non absimili. Signa Synocharum absque putredine sunt ferè eadem, sed evidentiora, calor enim, ut & pulsus est paulò major, vehementior & frequentior cum æqualitate, cutis non est sicca, sed madida quasi, corpus est plethoricum, unde facies quasi inflata rubet, urina paulò crassior & rubicundior est.

LXX. In putridis calor mordacior & acrior est, quam in spiritalibus, in principiis quidem accessionum non mox sese tactui acris offert, sed si diutius manus immoretur, talis percipitur, urina in principio est cruda aut obscure cocta, nisi ex ephemeris in putridas transitus factus fuerit, incipit plerumque sine causâ procatartica, pulsus magis mutatur, quam in aliis.

LXXI. Continuarum & intermittentium putridarum facilis est dignotio, ut signis peculiaribus non indigeant.

LXXII. Synocharum putridarum continentium idea cognoscitur ex typorum carentiâ, quod à principio ad finem usq; sine ullâ exacerbatione & remissione periodicâ durant, deinde pulsu magno, vehementi, frequenti, inæquali & inordinato. In synocha continente à sanguine temperato signa plethoræ adsunt, facies rubet, venæ turgent in corpore temperatè calido & humido, ætate juvenili, tempore verno, calor tangenti multus, vaporosus, minus verò molestus & acris apparet, quam in aliis; distinguitur à synocha absque putredine, hoc modo, calor in putri est acrior quam in non putri, urina est rubra, crassa ac turbida sine sedimento sive hypostasi, & cruda aut parùm cocta in principio, & omnia symptomata, quam in non putri sunt graviora. Synocha biliosa graciles corripit sanguinem biliosum habentes, in quâ ea conspiciuntur, quæ febribus biliosis sunt affinia, ut calor est acrior, quam in sanguinea, sitisque magis vexat, urinæ sunt tenuiores: Causi seu febres ardentes duo habent signa pathognomonica, calorem urentem & sitim inexstinguibilem.

LXXIII. Continuarum periodicarum nunquam ad *ἀνυπεξία* deveniunt, certis tamen periodis exacerbantur & remittunt, abque tamen frigore vel horrore antecedente & sudore subsequente; ex quibus species periodicarum febrium, ut tertianæ, quotidianæ, epialæ, syncopalis, & quartanæ facilè elucescunt, additis symptomatibus & accidentibus cuilibet humori propriis.

LXXIV. Symptomata febres ex eo cognoscuntur, quod

quod partium privatarum affectus sequuntur, & quidem primum genus harū febrium ex eo patefit, quod inflammationē insequatur; alterum ex calore lento, cum quo notæ putredinis in urina & pulsu apparent, innotescit, vires sunt imbecillæ, ut æger vix progredi possit, corpusq; sensim contabescit, ubi verò causa harū febrium latet, sæpe difficulter cognoscitur, earum tamen fomitem tumores & dolores, qui inquirendi, indigitant; Ex putredine verò visceris, vel alterius partis, ortæ febres facilius investigantur, siquidē corruptio diu latere nequit, nisi pars planè ignobilis fuerit; item quæ ex lacte, sanguine corrupto vel alimentorū cruditate oriuntur, facilè ex hypochondriorū inflatione, sive intumescentiâ & nausea patefiunt.

LXXV. Febres intermittentes ad apyrexiam perveniunt, statisq; periodis, quibus etiam dignoscuntur, & quidem cum rigore vel horrore redeunt, quarum species cognitu sunt faciles, ex signis nimirū bilis, pituitæ & melancholiæ abundantis & cuiq; humori appropriatis & adæquatis; Quotidianæ periodus est 24. Tertianæ 48. Quartanæ 72. horarum.

LXXVI. Nothæ non æquè facilè, præcipuè tamen cognoscuntur ex causis non unum sed simul plures humores generantibus & indigitantibus; compositæ verò investigantur beneficio signorum simplicium, & imprimis ex frigoris & horroris reditu post ejus quietem, & sic rigor fiat, & sudor non subsequatur, aut post plures rigores unus sudor contingat; Deinde si in continuâ febre sæpius fiat pulsus contractio, novum materiæ motum, novumq; paroxysmum, atque ita febrē compositā arguit. Exemplum esto semitertiana, quæ composita dicitur ex quotidianâ continuâ & tertianâ intermittente, ex utriusq; febris signis resultat cognitio febris illius compositæ, alter enim humor in cōtinuâ quotidie affert paroxysmū, alter verò in tertianâ intermittente tertio quolibet die, & ita dies altera duos habet paroxysmos, altera unum tantum.

LXXVII. Pestis antequam in plures diffunditur, vix ullum datur signum pathognomonicum, quo certò constare possit,

possit, unum vel plures malè habentes peste correptos esse, verùm cum in plures jam grassatur & plerosque jugulat, neminem latet, contagiosissima enim est, & in alios facilè derivatur, magisque, quàm ulius alius morbus, violentiâ suâ vires & facultatem vitalem prosternit, unde fiunt pulsus parvi, frequentes & inæquales, lypothymia & syncope, si malignitati alexiteriis idoneis non resistatur, tota ferè corporis œconomia perturbatur, excreta mutantur, per alvum prava, fœtida & malè colorata excernuntur, urina cruda & corrupta apparet, sudores fiunt fœtidi ac intempestivi, cutis subinde anthracibus, bubonibus & carbunculis, præcipuè circa collum & emunctoria obsessa & horrida conspicitur.

LXXIIX. Pestilentes febres in specie ita dictæ eadem fere signa habent, quæ pestis, sed paulò pauciora & mitiora, si enim malignitas & putredo adfuerit maxima, vires valde dejiciuntur, & gravissima apparent symptomata, si harum alterutra prædominetur, ipsius symptomata concomitantia prævaleant, necesse est, ut si putredo sit summa, malignitas verò parva, febrilia quidem putredinem consequentia symptomata satis sunt vehementia, vires verò non ita dejiciuntur, & contrâ.

LXXIX. Bubones, carbunculi, parotides, maculæ & alia putridarum signa humores principaliter affectos esse indicant. Horum verò absentia, calor aliquantulum mitior, & si vires subito concidunt, ægrique animi deliquia patiuntur, pulsus sunt inæquales & languidi, spiritus vitales valde affectos esse denotant, corde tandem valdè afflicto, adest summus virium languor, nec ægri de magnò calore conqueruntur.

LXXX. Malignæ febres in principio vix aut difficulter sese produnt, cum malignitas sæpe diu lateat, quare si quæ in his suspecta fuerit, signis suis diligenter perscrutanda, in genere autem omnia signa in malignis sunt majora, quàm in febribus simpliciter putridis, & symptomata apparentia vehementiora, quàm pro febris naturâ, adest nimirum virium debi-

debilitas, inquietudo, anxietas, pulsus, frequens, parvus, debilis, facies à naturali & vivido illo statu multum mutata, urina interdum tenuis & crassa, nullum habens sedimentum, aut si quod habeat, excremento potius simile, quam sedimento; interdum crassa, colorata, turbida, rubrum & turbidum sedimentum habens, quibus subinde & alia accedunt, sopor gravis, vigiliae, deliria, cephalalgia, aurium sibilus & surditas, vomitus, alvi profluvia, haemorrhagiae narium, hinc tumores post aures, sub alis & inguine erumpunt, varia item exanthemata in cute efflorescunt.

LXXXI. In Hectica est pulsus parvus, creber & moderatè celer, calor continuus æqualis & hecticus, nullum dolorem inferens, qui magis percipitur in arteriis, quam in reliquis corporis partibus; Et quidem calor post sumptum cibum horam unam atque alteram augetur, & pulsus ad magnitudinem & velocitatem mutatur, duratque donec alimentum distributum sit. In primo verò gradu cum tabe, magis consumitur & virtus fit debilior, in urinis pinguedo talis araneorum similis innatat; In secundo gradu Hectica Marasmodi dicta, facies Hippocratica conspicitur.

LXXXII. Prognostica paucis etiam attingemus, & quidem primò omnium brevissimæ, omni que periculo vacantes sunt Ephemerae, quæ ultra 24. horas non extenduntur, quarum verò, si causarum durabilitate ultra diem naturalem perseverant, vel in synocham non putridam in corpore juvenili plethorico, vel in putridam in corpore cacochymico, vel in hecticam in calido & sicco, degeneratio metuenda est. Synochæ verò sine putredine, & Ephemerae plurium dierum intra 4. vel 7. diem, modò error aliquis non committatur, sudore vel haemorrhagiâ narium solvuntur, aliàs in synocham cum putredine, vel inflammationem partis alicujus transeunt.

LXXXIII. Putridarum eventus in genere ex collatione virium & symptomatum magnitudine præsagiendus est, si enim vires sunt robustæ, & mitiora symptomata adsunt, be-

D

nè,

nē, si debiles, & ægri pluribus symptomatibus fatigantur, malè de iis sperandum est. Inter quas verò simplicissima & curatu facillima est synocha continens tam sanguinea quam biliosa, pura septimum diem, notha rarò decimum quartum transit, in quibus urina alba mala prænunciat; Omnium saluberrima est paracmastica decrescens, post hanc acmastica consistens, periculosissima perpetuò increscens Epacmastica.

LXXXIV. Causus sive febris ardens exquisita periculosa, & plerumque ultra septimum diem non durat, ob calorem urètem, ac symptomata illum comitantia, quæ natura diu perferre nequit, nonnunquam tamen etiam usq; 9, 11, 14. protrahitur. Si ex signis diagnosticis constet, esse febrem ardentem & tamen absit sitis, periculo non vacat, ægrum enim vel delirio teneri vel appetentem ventriculi facultatem emori arguit; Urinæ nigræ, tenues, crudæ & alia mala indicia habentes, malæ sunt; si verò, pepasmi signis apparentibus cum virium robore, in die critico larga è naribus hæmorrhagia, quæ ardentium febrium propria, accidat, ægrum extra dubium evasurum esse certum est. Licet etiam causum per sudores, alvi dejectionem & abscessum judicari non negaverimus.

LXXXV. Tertianæ continuæ periodicæ sunt ferè eadem, quæ causi. Quotidiana continua periodica, Barbaris Latica dicta, itidem est periculosa, chronica & curatu haut facilis, ob humoris crassitiem, qui quò est crassior, eò febris est pertinacior, unde non terminatur ante diem 40. vel 60. ob cuius diurnitatem, Epatisque imbecillitatem ægri plerumque tandem cachectici & hydropici fieri solent. In syncopali si pulsus sit parvus, debilis & inæqualis, valde periculosa est, & curatu difficilis, cum imminens syncope, viresque imbecilles necessarias evacuationes non ferant; Quartana periodica continua, intermittente quartanâ longe periculosior, vires valde dejiciens, terminus est dies 40. & ultra.

LXXXVI. Symptomatiæ inflammationem partis insequens

sequentes breves sunt, periculum pender ex nobilitate partium inflammatarum; Ex visceris alicujus corruptione & putredine ortæ, sunt periculosa & rarissime sanantur; Ex lacte & cruditate, vermibus & sanguine corrupto productæ, licet sæpe satis acuta & periculosa sint, Epilepticas convulsiones inferentes, curatu tamen sunt faciles, non diu durantes.

LXXXVII. Intermittentes verò minus sunt periculosa quàm continuæ, & rarò per se lethales; Tertiana pura per se inter omnes putridas minus sunt periculosa, & 3, 4, vel 7. ad summum paroxysmis terminantur; Notha verò plerumq; 14. paroxysmis terminantur, & sæpe ad 40. diem, imò ad menses sex durant, & in vitia epatis & lienis desinunt; Quotidianæ, utpote ab humore pertinaci ortæ sunt chronica, durantque ad 40. dies, menses tres vel plures, non carentes periculo, siquidem Epar & Ventriculum maximè afficientes, ægrum in cachexiam & hydropem conjiciunt; quàm diu autem sint duraturæ, ex signis pepasmi in urina vel citius vel tardius apparentibus, ex paroxysmorum longitudine & brevitate patet; Quartana verò omnium chronicarum sunt longissima, & sæpè non solum ad aliquot menses, sed & annos extenduntur, per se verò absque periculo sunt, periculosiores tamen, quæ cum atra bile sunt, & cum visceris alicujus graviori affectu ægrum in hydropem abjiciunt.

LXXXVIII. Compositæ febres plerumque simplicibus sunt periculosiores & curatu difficiliore, præcipuè si ex diversis humoribus consistant, partim cum plus affligant, quàm simplices, & tempus agendi ferè desit, partim etiam, cum, quæ uni humori sunt commoda remedia, alteri incommoda esse possint.

LXXXIX. De pestilentia, febribus pestilentibus & malignis nihil ferè certi prælagire licet, sunt enim fraudulenta, non rarò n. ægrum & medicum simulatâ benignitate malitiosè fallunt & divexant, iisq; magnū negotiū facessunt, ægrūq; inopinatò jugulant, & contra, qui desperati videbantur, sæpe

præter spem evadunt; Salutis tamen major spes est, ubi tumores & exanthemata boni coloris subito in loco minus periculoso, cum symptomatum remissione, ut & sudores cum alleviatione erumpunt, medicamenta, cibus & potus non vomuntur, & alia febrium salutarium signa conspiciuntur; Vitæ verò periculum arguunt tumores & carbunculi aut non satis, aut cordi vicini emergentes, aut iterum evanescentes, deliria, vigiliæ, coma, convulsiones, lypothymia, tremor cordis, si omnia vomitu rejecta fuerint, ægerque omnia fateri dixerit, sudor sit frigidus, alvus varia, nigra & fætida dejectat, atque alia malignarum febrium symptomata adsint; Præterea hæc febres, si putredo & malignitas est magna, & ab utrâque æquale malum imminet, sunt periculosissimæ, si non, minus sunt periculosæ, si tamen alterutra prædomineatur, quid sentiendum sit, ex diagnosticis patet.

X C. Denique in omnibus putridis generalissimum prognosticum hoc est, quò pejora adsunt symptomata, quoque virtus est debilior, eò febris periculosior portenditur; Quæ si abfuerint, salus speranda erit; huc imprimis referri debet facies Hippocratica dicta, quæ ita describitur, Nares acuminatæ, oculi concavi, tempora adstricta, aures frigidæ contractæque, cutis circa frontem dura, intensa & arida, vultus totius color viridis aut niger, hujusmodi enim faciei constitutio, nisi ab aliquâ causâ externâ extiterit, utpote si æger aut vigilaverit, aut alvum resolutam habuerit, aut famem, aut simile quid passus sit, sed à causâ aliquâ internâ oborta, aut perseveranter talis permanserit, aut deterior evaserit, maximè lethalis habetur & exitium denunciat.

X C I. Hecticam sine tabe facilius est curare, quàm cognoscere, cum tabe verò, præcipuè Marasmodes, facile quidem cognoscitur, sed difficulter curatur, tandem Marasmus est lethalis & incurabilis.

X C II.

XCII. Demum ad Februm Therapeusin feliciter assequē-
dam, duo nobis ad id necessaria expedienda sunt: 1. Doctrina *Therapia.*
indicationum. 2. Materia auxiliorum. Quoad indicationes
tria sunt secundum vulgatam Medicorum sententiam, à qui-
bus indicationes desumuntur; Morbus sc. Morbi causa, &
Vires.

XCIII. Prima ergo indicatio Curativa ab ipsa febre de- *Indicationes*
sumitur, sui ablationem per contraria, refrigerantia sc. & hu- *Curative.*
mectantia præscribens. Secunda præservatoria à causa fe-
brem actu fovente desumpta, remotionem causarum indicat.
Initio enim causæ ratio habenda est, quando adest, actuq; fe-
brem fovet, si verò desit, ut in Diariis & Hecticis, tantum re-
frigerantibus & humectantibus insistendum erit. Ubi verò
febris in fieri & generatione est, Causa, quæ eam accendit,
submoveri primum debet, quâ sublatâ tollitur affectio; Quæ
verò Causarum remotio pro diversitate earum est varia,
& non omnes uno modo tolluntur, causæ evidentes & proca-
ræ contrariis corrigendæ, meatuum constipatio & sup-
pressio calidi effluvii, chalasticis, laxantibus & aræoticis, rare-
facientibus & similibus; putredo, putredini resistentibus;
Cacoehymia, putridiq; humores, contemperantibus, digerentibus,
concoquantibus & evacuantibus cuilibet humori ac-
commodatis; malignitas, alexipharmacis & venenis resistentibus;
deinde vitiosorum humorum generatio, causarum ab-
latione, obstructio aperientibus, attenuantibus, incidentibus
& obstructionem tollentibus; plethora, phlebotomiâ, vel cu-
curbitulis cum scarificatione phlebotomiæ vicariis; Men-
struorum, lochiorum, secundinarum & molæ retentio, men-
ses moventibus & secundinas expellentibus; Cæteræq; cau-
sæ pro suâ naturâ contrariis, secundum rectam medendi me-
thodum sunt amovendæ, quibus sublatis intemperies genita,
per refrigerantia tollenda, vel ubi pars febris genita, altera in
gignendo adhuc, utriq; consulendum, submovendo causam,
quæ eam accendit, deinde extinguendo, quæ ab hac accensa
est, febrem. Verum contraria non semper conveniunt, sed

accidit non raro, ut, quod causæ contrarium est, febrem fo-
veat, & contra. Ubi autem ex collatione indicationum idem
utrique, videlicet morbo & ejusdem causæ contrarium est,
aut indicationes consentiunt, ibi sine discrimine refrigerare
& humectare convenit, ut in febribus biliosis. Sin verò indi-
cationes dissentiant, ut in febribus quotidianis & quartanis,
indicationes contrariæ ita sunt moderandæ, ne dum uni atten-
dimus, alterum negligamus, dirigenda itaque potius erit cu-
ratio ad id, quod magis urget, & potentioris indicantis ratio-
nem habet. Tertia indicatio vitalis à viribus desumpta, cum
in omni curatione vires ægri intueri conveniat, confortan-
tia, corroborantia & reficientia indicat, quæ morbo & causæ
morbificæ contraria, sed temperamento, ætati similia esse de-
bent.

XCIV. Ut verò id, quod præmissarum indicationum be-
neficio fuit indagatum, præsidiorum materiâ expediamus,
methodus curativa per ordinaria Medici instrumenta, secun-
dum variam febris speciem & intentionem, variis diversis-
quæ diætæ, chirurgiæ & pharmaciæ adminiculis peragenda
est.

XCV. Diætæ in genere, quomodo totius vitæ ratio insti-
tui debeat, consideranda est secundum omnes res non natu-
rales, quæ vel solâ dextrè institutâ, causæ procatarticiæ pro-
fliguntur, quibus sublatis, non raro febres, ut Ephemera, cu-
rantur, ut accuratioribus medicamentis opus non sit; præci-
puè victus ratio sit accurata, cum leve admodum diætæ er-
ratum irreparabile damnum pariat, diætæ bona & facilis, fri-
gida & humida febricitantibus conveniens, eligantur cibi
Euchymi & Eupepti, optimi fucci & concoctu faciles, pa-
nis lenis, triticeus & benè coctus, caro animalium juniorum,
vitulorum, hædulorum, pullorum, caponum, gallinarum,
perdicum, avicularum montanarum; in vitio sunt nimia in-
gurgitatio, crapula, edacitas, ciborumquæ varius apparatus;
potus sit aq. hordei, cremor ptisan. aq. panata, panatella, lac
amygdalinum, vinum aut nullum aut assuetis oligophoron
&

& lymphatum propinetur; sitim extinguunt, Syrup. de granat. acid. oxyfacch. s. syrup. de acetos. citri, de limon. de Ros. ex multipl. Rosar. infus. Rob. & gelatin. ribium, berb. juleb. & conserv. Rosar. acetos. cum aq. cichor. bugloss. borrag. Endiv. fragar. Rosar. additâ sp. ☉ vel ☿ acid. ad gratam aciditatis. quantitate sufficient.

XCVI. Aër, Somnus & Vigilia ad mediocritatem reducenda sunt, ille, si iusto frigidior vel calidior, insperione alterantium super pavementum, & si malignus fuerit, vel metus sit, ne pestilentiaë seminarium in eo latitet, lignis junip. querc. lauri, pini, & plantis fragrantibus incensis, vel aceto aliquo Bezoardico lateribus ignitis infuso, vel suffimigiis, vel pulvere pyrio incenso mundetur. Sopor discutientibus, excitantibus & revellentibus, ut clysteribus acris, sternutatoriis, frictionibus, anacollemat. vapores dissipantibus ex castoreo, aceto, ruta, origano & serpillo emendetur. Vigiliis verò nimis medentur somnifera, & Narcotica externè per anacollemata, emulsiones, lotionesquè pedum adhibita, internè vero per potiunculas, conservas & pilulas propinata, ut Croc. sem. papav. fol. lactuc. falic. vitis, violar. capit. papav. alb. unguent. Rosat. populeon. syrup. de papav. theriac recens, mandrag. opium, laudan. opiat. pilul. de Cynogloss. Requies Nicol. philon. Roman.

XCVII. Alvus semper respondeat, vel emolliatur convenientibus, de quibus paulò post. Motus corporis & animi in moderatione & tranquillitate consistant.

XCVIII. Verùm licèt unus idemquè calor in omnibus febrium speciebus, causæ tamen illius admodum diversæ existunt, ideoquè etiam diversis causarum generibus applicanda erit diætâ, si enim utilis alimenti magna indigentia est, cibus plurimam, sin minus, exiguam nutriendi vim habeat, semperquè admiscenda ea, si opus, quæ Causis contrariantur, & scopo curationis, quod satis ex causis & indicationibus patet, conveniunt.

XCIX.

XCIX. Quare alterantibus in Ephemericis, & Synochis sine putredine ad sanguinis fervorem restringendum exhibendis commodè acida præservantia & putredinem arcentia, ne videlicet in putridas degenerent, admiscenda, ut succ. citri, limon. aurant. granat. acid. spir. ☿ & ⊕ acid. abstinendum ab alimentis carnosiss, multumquè sanguinis generantibus.

C. In Synochis putridis continentibus, sanguineis, causis & tertianis continuis periodicis & intermittentibus cibi refrigerent & humectent, condiantur succ. citri & granator; abstinendum à melle, dulcibus & omnibus bilem generantibus.

CI. In quotidianis intermittentibus & continuis periodicis, Epialis & Syncopalibus, victus sit attenuans, incidens & abstergens, cibi condiantur petrosel. fœnic. thymo, hyssop. satureiâ, roremar. cinamom. macere, calam. aromat. &c. vitetur pituitæ proventus; potus sit vinum oligophoron, diureticum, absinthites, aromatites, nutriendi, incidendi & attenuandi vim habens, utile quoque est hydromel, in quo hyssopus ebullierit. In quartanis verò cibis sit humectans & calefaciens, & si humor adustus sit, nonnihil refrigerans, ita tamen, ut vi attenuante & incidente non destituatur, quo fine condiantur borrag. bugloss. fœnic. petros. capparib. ceterach. adianth. polypod. Enulâ, chamæd. lupul. hyssop. cortic. median. sambuc. tamarisc. Hic verò observandum, continuis, cum calor sit major & status prior, victum paulò tenuiorem & magis refrigerantem, viniquè ὀλιγοφόρον usum parcio-rem deberi, & calore invalescente planè ab eo abstinendum esse. In obstructionibus contumacibus, quæ ut plurimum, quartanam intermittentem pariunt, item cachexiam, melancholiam hypochondriacam, hydropem, icterum, decocti chalybis præparati magna habetur præstantia.

CII. Symptomaticarum diæta ad causas earum, à quibus dependent, est dirigenda; Compositarum ex supra dictis patet; pestilentialium & malignarum verò diæta sit talis, quâ viti-
tiosi

ti osi humores non cumulentur, & cum vires langueant, cavendum, ne natura copiâ cibi oneretur, cibi & potus alexipharmacis & malignitatem infragentibus condiantur, à vino, nisi forsan syncope immineat, abstinendum, commodior est potus tenuis cerevisiæ, non incommodè quoque nec sine fructu à Cratone & aliis loco ptisanæ, potusq; ordinarii præscribitur decoct. C. C. usti & præparati, quod multùm efficacius reddit Excellentiss. D. Præses admistione julebi Rosar. & violar. additâq; spir. ☉ eâ quantitate, quæ ad gratam aciditatem sufficit, polychriston enim est, varias intentiones absolvens, Cardiacum, Diaphoreticum & Diureticum est, malignitati resistit, putredinem arcet, obstructions aperit, sitimquè sedat.

CIII. Hecticæ diæta consistit in refrigeratione & humectatione, quare cibus sit humectans & refrigerans, facilis digestionis, boniquè succi, summam vim substantiam corporis nostri humectandi & reficiendi habens, ex quorum censu primas tenet lac, imprimis muliebre, si à muliere ipsâ post 4. menses à partu, hecticus fugere possit; secundas tenet lac asinæ; tertias, lac caprillum, cujus si coagulatio & corruptio in ventriculo timeatur, addito saccharo præcavetur; quartas, lac amygdalinum, cum emulsione 4. sem. frigid. major. quibus adjungimus vitellos ovorum sorbiles, & Consummata Medicis dicta, ex caponibus & perdicibus. Potus, sit cerevisia triticea, aut vinum, si hecticis tabidisq; concedatur, subtile & lymphatum.

CIV. Quantitas alimenti sit pro virium indigentia & morbi historia, quæ ex his 4. addiscitur. 1. ex specie affligentis febris. 2. ex anni tempore. 3. ex stasis periodorum vicissitudinibus. 4. ex signis Epiphœnomenis. Hipp. l. i. aphor. 12. Norma igitur victûs, ut habet Hippocrat. lib. i. aphor. 8. 9. 10. est status ipsius febris, qui cum in procinctu est, & jam efflorescit, viresquè à materiæ copiâ & agitatione, non verò ab exhaustu opprimuntur, tenuissimo victu, in comparatione tamen ad alia tempora, utendum, ne videlicet natura ul-

E

tra

tra vires aggravetur, malequẽ ab instituto pepasmo avocetur. Cæteris verò temporibus tantum exhibendum, quantum sufficit, ut æger vigorem morbi illabefactis viribus superare queat; in longioribus igitur, quæ tardẽ ad vigorem perveniunt pleniori victu indulgendum; in acutis verò non item. Verùm si magna sit alimenti indigentia, viresquẽ fracta, ut in Hecticâ, parùm sæpequẽ nutriendum.

CV. Tempus cibationis in continuis fit tempus minoris afflictionis, in intermittentibus ipsa declinatio, aut post declinationem, aut hor. V. VI. vel VII. ante futurum paroxysmum; cæteris enim temporibus, præterquam quod natura avocetur à pepasmo materiæ morbificæ ad pepsin ciborum, cibus in imputritatem abit, alvina regio ab impuris succis incurritur, unde distentis hypochondriis diaphragma opprimitur, & anxia evadit Respiratio. Hippocr. lib. i. aphorism. ii.

Chirurgia.

CVI. Ex Chirurgicis præfidiis locum habet venæ sectio, vel si vires prostratæ eam non permittere videntur, cucurbitulæ cum scarificatione phlebotomiæ vicariæ. 1. In plethora & plenitudine ad vasa, cum quæ febris causa est, tum quæ febrem intermittentem vel aliam comitatur. 2. Inflammatione & effervescentiâ sanguinis ventilandâ. 3. Revulsionis causâ, quando sanguis in partem aliquam irruens inflammationem minatur. 4. In principio putridarum, si vires, ætas, cæteraquẽ consentiant, non solum ad demoliendam plethoram, sed etiam, ut concoctio meliùs procedat, naturaque ab onere suo levetur, & cum natura à febre debilitata copiosiore sanguinem regere non possit, putredo restinguatur, & ulterior præcaveatur; in quibus cum periculum in morâ sit, ut corpus periculo subtrahatur, venæ sectione repenti succurrendum.

Pharmacia.

CVII. Ex pharmaceuticis præfidiis, cum prima corporis regio, ut plurimum in omnibus morbis, potissimum verò in febribus excrementorum saburrâ & colluvie quasi referta scateat, ideoquẽ ante omnia alvum lubricam & laxam esse
opor-

oporteat, lenientia sive *ἐπιπορευτικά* pharmaca electivè purgantib. (ut & phlebotomiè, referente Rondeletio) meritò præmittenda sunt, ex quorum catalogo sunt: Succ. Rosar. Syrup. Rosar. laxativ. violar. recent. Cass. recens extract. diaprun. solutiv. decoct. prun. dulc. passular. Elect. diasebest. Chrystall. & cremor ☐. serum lact. tamarind. jujub. diamanna, tryphera persic. &c. quem scopum etiam assequi possumus clysterib. ex malv. alth. violar. parietar. branc. ursin. mercurial. lactuc. oleo violac. cassiâ, electuar. lenitiv. diacathol. Hierâ Gal. &c. paratis. Nonnunquam vomitoria ex usu sunt, quando videl. magna excrementorum congeries in ventriculo locisque vicinis continetur, quæ cibos ingestos corrumpere & inquinare solent; vomitoria sive Emerica sunt, Radic. & coagulum Afari, ☉ alb. vomitiv. ☉ ☉ sive Gilla Theophrast. Aqua benedict. Ruland. infusio flor. ☉, aut vitri ☉. Crocus metallor, flor. genistæ, sem. atripl. aneth. & alia.

CIIX. Deinde cum febris, quâ febris, ut intemperies calida contrariis profligatur, sese offerunt Refrigerantia, ut acetos. portulac. lactuc. endiv. cichor. scariol. Rosæ, violæ, nymph. santal. camph. ribes, berber. sem. frigida major. & minor. frag. acet. limon. granat. juleb. & syrup. Rosar. violar. citri acid. acetos. citri è succ. granat. limon. acetos. cum aqu. cichor. tinctur. Rosar. simpl. &c. Lap. sive ☉ prunell. in vehic. appropriat. exhibitum, ob elegantem efficaciam, quam in febribus ardentibus manifestat, non posteriori loco habendum, calorem enim mitigat, prunam exinguit, corpusque humectat, diureticum & sudoriferum est. Topica sequentia æstum febrilem mirificè extingunt:

1. R. ol. Rosar. ℥ss. nymph. cydon. ana ℥ij. mucag. semin. psyllii & citri cum aq. Rosar. factæ ℥ijss. ceræ candid. & aceti Rosar. q. s. F. liniment. spinæ dorsi & hypochondriis inungendum.

2. R. aq. Rosar. ℥iij. lactuc. borrag. ana ℥ij. succi sempervivi major. ℥iss. acet. Rosar. ℥j. spec. diatrion santal. ℥ij. F. Epith.

Epith. cordis, epatisque regioni, & manuum carpis imponendum.

CIX. Quibus præmissis, primò ratione causarum obstructio & constipatio pororum cutis, rarefacientibus & aperientibus, ut balneo aq. dulc. in quâ malv. lactuc. melilot. & similia cocta sint, inunctione olei chamæmelini tollenda; in utrâque ventriculi cruditate, nidorulentâ & acidâ, coctioni studendum, cibusque vel vomitu rejiciendus, vel si æger ad vomitum proclivis non sit, Medic. Eccoprotico per alvum educendus, & deinde in illa intemperies frigidis corrigenda, non neglectis iis, quæ abstersione & corroboracione ventriculo succurrunt, ut interius, absynth. Diarrhod. abbat. mastich. potabilis; Extrinsecus, oleum Rosac. mastich. In hac verò ventriculus corroborandus, Internis, ut: diambro. aromatico Rosato; nardin. caryophyllato, diaxylo aloë, diagalang. diacumin. diacinanom. diazingib. Diatr. piper. Electuar. excitro &c. Externis, ut: ol. absynth. menth. Similiter lac vel sanguis extra vasa corruptus, & vermes convenienter vel vomitu, vel abluentibus, evacuantibus & putredini resistentibus tollantur; Inflammationes plerisque remediis, quæ, habitâ tamen provisione partis affectæ, inflammationibus sanandis competunt; Contumax vero viscerum obstructio, internis aperientibus, attenuantibus, detergentibus & appropriatis viscerum tonum, qui plerumque labefactur, roborantibus, topicis emollientibus & discutientibus, ubi tamen per intervalla lenis purgatio interjicienda; Partium vero corruptio & putredo extergentibus, sarcoticis & consolidantibus, quæ internis ulceribus & fistulis conveniunt, curanda. Hinc symptomaticarum curatio à primariarum non nihil degenerare videtur, cessant enim ad sublacionem particularium affectuum, quibus prospiciendum, de quorum pleniori curatione consulantur practici.

CX. Digestiva & purgantia pro varietate humoris putrescentis variant; Medicamenta humorem pituitosum, crassum, viscidum & lentum incidentia, attenuantia & ad educationem præparantia sunt Rad. aperient. agrimon. hyssop. betonic

nic. capill. ♀, cremor & crystall. ♀, ♀ ⊕ lat. acet. spir. ⊖
& ⊕. syrup. de duab. & quinque radic. eupat. absinth. stœ-
chad. acetos. simpl. byzant. oxymel simpl. & comp. scillitic.
oxymel ex ligustico, ex calaminth. Aquæ cuscut. fœnic. apii,
petroselin. asparag. menth. meliss. salv. absynth. &c.

CXI. Humoris verò biliosi caliditatem & fervorem
attemperantia sunt cichor. endiv. scariol. acetos. borrag. bu-
gloss. viol. fem. refrigerant. 4. major. & minor. succus citri,
granat. limon. ribium, acetos. sp. ⊕ & ex his & similibus
composita, ut syrup. de granat. de limonib. ex infusion. ro-
sar. de endiv. de acetos. citri, de endiv. cichor. agrestâ, nymph.
oxysacch. rob ribium, ut & aq. prædictor. simpl.

CXII. Bilem atram sive Melancholicum humorem
præparantia & digerentia, sunt syrup. de lupul. fumar. bizant.
bugloss. thym. epyth scolopend. linguâ cervin. cortic. tamarisc.
cappar capill. ♀ polypod. fœcul. aronis, aq. meliss. basilic.
scolopend. majoran. fumar. borragin. bugloss. Quibus ha-
ctenus dictis adjungenda ea, quæ putredinem arcent & in-
hibent, ut acet. succ. limon. citri. granat. acetos. spirit. ⊖, ⊕.

CXIII. Si verò febris maligna fuerit, observandū præ-
parationem humorum peragendam esse medicamentis ape-
rientibus, humoresq; , si opus est, incidentibus, ebullitionē
& putredinem sistentibus, febrisq; fervorem extinguētibus,
præcipuē verò malignitati resistentibus, ac naturam ad sudo-
rem sensim disponentibus, qualia sunt acetos. scord. card.
bened. scorzoner. fem. citri, granator. spir. ⊕

CXIV. Humores ita concocti & ad faciliorem educio-
nem præparati catharticis & electivē purgantibus evacuandi
sunt; *Phlegmagoga* simplicia sunt agaric. turbith. mechoacan-
na utraq; , alba & nigra, radix gialapa dicta, myrobal. cheb.
emblic. belliric. composita sunt, Hiera picr. Galen, diaphœ-
nic. diaturbith. elect. ind. majus, diacarth. benedict. laxativ.
trochisc. alhandal. agaric. trochisc. pilul. alephang. coch. hie-
ræ cum agaric. de hierâ picrâ &c. *Cholagoga* rhabarb. aloë
myrobal. citrin. gummi gott. five gamand. scammon. diagryd.
hiera picra, elect. de succ. rosar. de rhabarb. assaiereth. sine

E 3

quib.

quib. aureæ, de aloë, de trib. *Melanagoga*, sena, myrob. ind. fumar. polypod. helleb. nig. lap. armen. lazul. epithym. dialen. pulv. senæ compos. confectio hamech. major & minor, syrup. de epyth. de pomis regis sapor. pilul. de fumar. indæ, tartareæ, de lapid. lazul. armen &c. *Panchymagoga sive Catholica*, omnes humores mixtos evacuans apud autores, præcipuè Crollium, Quercetan. & Beguin. extant varia, ut pilulæ polychrestæ Quercetani, ejusdemq; pilul. panchymagogæ. item præstantissimum illud est extractum catholicum, quod ab Excellentiss. D. Præsidi in Institutionibus lib. 5. p. 3. sect. 3. c. 5. describitur. Quo referri etiam non incommodè possunt pilul. aggregativ. major. mixtos humores purgantes; non negligendæ etiam sunt pilulæ ꝑ ales Hartmanni in febrib. intermittib. pertinacibus & diuturnis, in iis n. ad ꝑ alia & ꝑ alia confugere licere videtur, eò quod fomes in locis mesenterii abstrusiorib. absconditus vix, nisi longo tempore, excutiat, nisi natura dictis medicamentis omnia percurrentibus excitetur & irritetur. Quorum Catholicorum in febribus nothis & compos. magnus usus esse potest. Ex quibus omnibus pro decreto & arbitratu Medici sopo curationis analogæ & accommodata eligi possunt.

CXV. Corpore debito modo purgato ad hydrotica, diaphoretica sive sudorifera progrediendum, cum enim natura reliquias superstites per sudores plerumq; expellere, & *μιασμα* ex humorum putredine relictum, è venis ad ambitum & peripheriam corporis protrudere soleat (quo enim discusso, febris cessat, unde etiam à vulgo pustulæ circa labia, nares & alias faciei & reliq. corporis partes erumpentes pro certis febris jam cessaturæ indiciis habentur) & propterea vix ulla febris sine sudore rectè curetur & cesset, ita Medicus tanquam naturæ minister ei subvenire, & hydroticis relictam materiam & *πύρρον σπυροῦν* per insensibilem transpirationem discutere debet, suntq; card. benedict. tormentill. scabios. capill. ꝑ, zedoar. dictamnus, pimpinell. gentian. sars. parill. lignum guajacum, sassafras, C. C. lap. bezoar, rob. sambuc.

buc. bezoardic. minerale S. & cum ☉, ☿ diaphor et. panacea
♀ ij. ♁ aurat. diaphoret.

CXVI. Idem etiam, licet non eodem modo, præstare
dicuntur specifica febrifuga *πυρετικά* dicta, qualia sunt
pulvis è testis cochlear., pulv. seu magisterium concharum
margaritiferaarum, seu matris perlarum calcinat. magisteriū
oculorum ☿; quæ medicamenta sudores non movent, sed
præcipitatione quâdam, ut Chymici loquuntur, vim illam
effervescendi & paroxysmum excitandi in inquinamento fe-
brili tollere videntur. Similiter *μίσματα* febrilia extrahunt
topica nonnulla ex telis aranearum, oleis aranearum & ve-
sicatoribus quibusd. ut rutâ &c.

CXVII. Non etiam negligenda sunt diuretica, siqui-
dem quandoq; per urinam pars materiæ febrilis evacuatur,
ex quibus verò eligenda ea, quæ humores simul attenuant,
viasq; referant, ut capill ♀. asparag. agrimon. chamæpithys,
radic. petrosel. & apii, semen faxifrag. filipend. spir. ♀. tin-
ctur. seu ♁ ♀ verum, ☉ succini fixum & similia.

CXIX. Interea viscera principalia, ut epar, cor, lien,
& ventriculus, à calore febrili debilitata sunt corroboranda,
ne vires labascent, calorq; temperandus est, quod præstant
varia electuaria & condita, ut tabulæ diamargarit. frigid. dia-
trion santal. aromar. rosar. dianth. elect. de gemmis, diarrhod.
abbat. manus Christi perlat. condita ex conserv. acetosell. vio-
lar. cichor. bugloss. rosar. &c. Ex. gr. R. conserv. acetosell. vio-
lar. rosar. ana ℥ vj. nymph. rob. ribium, berberū ana ℥ β. spec.
diatrion. santal. ℥ ij. diamargarit. frigid. ℥ j. spodii ex ebo-
re, crysall. optim. tenuissimè pulverisat., corall. rubri præpa-
rati ana ℥ β. cum syrup. acetos. F. mixtura. Si adsit maligni-
tas, dentur manus Christi perlata, confect. de hyacynth.
elect. liberant. R. Conserv. rosar. violar. acetosell. ana ℥ j. the-
riac. de citro ℥ vi. spec. diamargarit. frigid. elect. de gemmis
frigid. ana ℥ ij. liberant, solutionis margaritarum & coral-
lorum ex succo citri vel limon. ossis de cord. cerv. aut potius
extremitat. C. C. præparati succo scordii ana ℥ j. fol. ☉ nū. iij.
cum syrup. acid. citri, Fiat mixtura ad formam opiata. Topi-
ca ad-

ea admoveatur regioni cordis & epatis. 1. pro corde R. flor. ros.
 viol. nymph. bugloss. an. p. j. spec. diamarg. frig. ꝑ ij. de gemm.
 frig. santal. citrin. ana ꝑ ꝑ. trochisc. de camph. ꝑ ꝑ. croci gr. ꝑ.
 concisis cum syndone rubrâ fiat sacculus, qui in aq. rosar. ca-
 lesacta exprimatur. 2. pro epate. R. aq. endiv. rosar. ana ꝑ iv.
 lactuc. ꝑ ij. acet. rosar. ꝑ j. pulv. omnium santalor. ana ꝑ ꝑ.
 Spodii ex ebore, corall. rubri præparati ana ꝑ j. M. Si vires
 labascunt. & ruinam minantur, Ad eas restaurandas & con-
 fortandas commendantur syrup. de perlis & corall. balsam. ci-
 namomi, extract. Alchermes, liquor hyacinth. Essentia & ma-
 gisterium margarit. ambra rectificata; summo etiam cum fru-
 ctu exhibentur consummata dicta ex perdicib. & capon.

CXIX. Verum hic observandum hætenus propositam
 methodum non æquè in peste, pestilentibus & malignis fe-
 bribus, quàm in cæteris febrium malignitatis expertium spe-
 ciebus, procedere, in illis n. cum malignitas maximè urgeat,
 ad eã infringendam & debellandã, statim, priusquam purga-
 tio & reliqua necessaria instituantur, ad alexipharmaca & su-
 dorifera confugiendum, qualia sunt angelic. valerian. card.
 benedict. tormentill. dictamn. alb. cretic. ruta, vincetoxic. sca-
 bios. mors. diaboli, pimpinell. olsnic. veronic. scorzonera, im-
 peratoria, gentiana, bacc. junip. nuc. jugland. C. C. Philosophi-
 cè calcinatum, os de corde cerv. aq. è typhis cervor. unicornu,
 bono armenus, terra sigillata, lapis bezoar, smaragd. hyacinth.
 Ex his & aliis composita fiunt varia, mithridat. theriac. com-
 mun. andromach. confectio liberant. Electuarium de ovo,
 diascordium Fracastorii, antidotus Saxonica, pulvis Cæsaris
 rubeus & gryseus, bezoard. minerale cum & sine ☉, mistura
 simplex, acetum & spiritus theriacalis, elixir. propriet. Para-
 cell. balsam. ♁, ejusque rotulæ.

CXX. Sublatis tandem causis febrem foventibus,
 ipsa febris refrigerantibus & humectantibus tutò curatur,
 quorum cum paulò superius mentio facta est, hæc de febribus
 in genere compendiosè disseruisse sufficiant, uberiora
 & prolixiora desiderantem ad tractatum Excell.

& Experientis. D. Præsidis de Febribus
 remitto.

1654
31





X 2588898

Rehe

VD 17





Dissertatio Medica
DE
FEBRIBUS
IN GENERE.

Quam
Deo Ter Opt. Max. Hygiæ & Panacææ
autore, favente

In almâ Electorali ad Albim Academiâ Witteb.

PRÆSIDE

VIRO

Excellentissimo, Clarissimo & Celeberrimo

Dn. DANIELE SENNERTO,

Philosoph. & Medic. Doctore experientissimo, Fac.
Medic. P. P. Ejusdemque Collegii Seniore & Decano Spectabili, nec
non Serenissimi Electoris Saxonie Archiatro, Præceptore & Promo-
tore suo, omni, quo par est, reverentiæ & debitæ observantiæ
cultu perpetim prosequendo.

*Publica Philiatorum disquisitioni submissam
defensurus est.*

VVILHELM DEICHMÄN VVestphalus.

In Auditorio Medicorum, s. Calend. Maij horis solitis.



WITTEBERGÆ,
Ex Officinâ Typogr. GEORGII MÜLLERI.

ANNO MDCCXXXI.

